

1139

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

1639.

1. Cellarius, Balthasar : De moneta seu re nummaria
2. Cellarius, Balthasar : De maiestate ac maiestatis
juribus.
- 3.^{a et} Ifigius, Christophorus : De thesauris eorumq. jure
2 Sumpt. 1639. & 1699. 3
- 4.^{a et} Iohannus, Christophorus : De obsequio 2 Sumpt. 1639 & 1699.
- 5.^{a et} ^{Pneescheneck, Zacharius}
~~Iohannus, Christophorus~~ : De jure aggratiandi seu
indulgentiae veniae poenae.
6. Pneescheneck, Zacharius : De processu inquisitorio
- 7.^{a et} Pneescheneck, Zacharius : De excommunicatione sine
subinfestatione.
8. Richterius, Christophorus Philippus : De iuramento
innuntiationis
9. Magnus duo, Paulus : De empyemate.
10. Theodoricus, Petrus : De tutelio.
11. Theodoricus, Petrus : De iuramento calumniae

1639.


12^{a. t.} Ungersperger, Erasmus : De expectativis feudorum.

2 Summ. 1639 - 1698.

13^{a. t.} Ungersperger, Erasmus : De absentia 2 Summ. 1639 - 1698.

14. Ungersperger, Erasmus : De deposito.

15^{a. t.} Ungersperger, Erasmus : De erroribus Justinianis.



26
DISPUTATIO
MEDICA INAUGURALIS.

DE
EMPYEMATE,

Quam

Præscitu ac permissu

Inclytæ & Gratosissimæ Facultatis Medicæ in lau-
datissima & florentissima Academiâ

SALANA

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Amplissimi, Clarissimi, Excellentissimi

DN. PAULI MARQUARDI

SLEGELII, Med. Doct. Prof. Publ. & Horti Me-
dici Præfecti celeberrimi ejusdemq; Faculta-
tis p. t. Decani Spectatissimi

DN. Præceptoris & Promotoris sui colendissimi.

*Pro LICENTIA adipiscendi privilegia & honores
DOCTORALES.*

Publico examini submittit.

CHRISTOPHORUS PAULUS THAM

SONDERSHUSA-THURING.

Ad diem 17. Decembr.

In Auditorio Majori

Horis consuetis.

J E N Æ

LITERIS STEINMANNIANIS, Anno M.DC.XXXIX.



Oppidorum Schwartzbur-
gicorum

ARNSTADT, SONDRSHAUSEN &
GREUSSEN

Dnn. Consulibus
Syndicis
Camerariis cœterisq;
Senatoribus.

& ibidem viventibus

Medicis Schwartzb. aulicis &
ordinariis

DN. D. ANDRÆ TENTZELIO,
DN. D. BALTHASARI GLASSIO, &
DN. M. HIERONYMO FROBENIO,
huic & illi etiam Coss.

*VV. Amplissimis, Experientissimis, Spectatis-
simis & Prudentissimis,*

Dnn. fautoribus, & amicis suis
colendis

*Disputationem hanc inauguralem
in observantia & amicitia
monumentum*

D. D. D.

Christoph-Paulus Tham.



D. O. M. A.



Am caduca est, & corruptibilis vari-
isq; miseriis obnoxia mortalium natura &
constitutio, tam variis rebus constructa,
ut lege, methodo, ac certo numero com-
prehendi calamitosæ vitæ & affectuum
varietas difficulter queat; Unde & ipse
Medicorum Coryphæus in Epist. ad Damaget. querula voce ex-
clamat: *Totus homo ab ipso ortu morbus est.* Quod etiam hoc
nostro seculo comperimur, dum varia & dissimilia, imò
incomprehensibili errore involuta H O M I N I accidunt:
Inter quæ certè non ultimum locum, gravissimus affectus,
qui E M P Y E M A appellatur, obtinet, quo plurimi eo labo-
rantes pereunt, plures manci, & omninò muniis vitæ pro-
ficuis inutiles redduntur, multiq; Medici, etiam doctissi-
mi, in hæitationem & angustias adducuntur. Quare de
eo impræsentiarum agere proposuimus, in cuius enoda-
tione profectò multa difficilia, & magni momenti expen-
denda inveniemus, quæ omnia breviter quidem, attamen
dilucidè atq; perspicuè quantum ingenioli tenuitas per-
mittit, enucleemus.

DICITUR GRÆCIS ἐμπύημα, ἐμπύησις & ἐμπύη
ab ἐμπύεω purulentus sum, seu pus excreo, vel ἐμπύω
pus ingenere, purulentum reddo. LATINIS suppuratio,
vel purulentia à materia morbum causante. Et in triplici
significatione plerunq; auditur ab Autoribus quibusdam.
1. Generaliter pro omni puris collectione in quacunq; cor-
poris parte; sive illud adhuc in parte inflammata detinea-
tur, priusquam rumpatur, sive jam rupta sit docentib. Hip-
pocr. & Galen. l. 5. aph. 8. lib. 7. aphor. 44. & progn. l. 2. §. 2. aph.
402. Cels. l. 3. c. ult. 2. Alii strictius non omnem quidem pu-
ris collectionem, sed eam solum, quæ in internis visceri-
bus, ut cum in Epate, liene, ventriculo &c. pus colligitur

ita nominandam censent. *Holler. in Comm. supr. Hippocr. aphorism. 3. Usus tandem obtinuit, attestantib. Hippocr. lib. 1. de morb. Galen. lib. 4. de caus. puls. c. 9. lib. de tumor. c. 3. Avicenn. fen. 10. tr. 4. c. 17. Aeginet. lib. 3. c. 37. eos solos ἐμπύονες vel ἐμπύονες nominari, quibus inter thoracem & pulmonem pus aggregatum est: quæ quidem magis propria magisq; usitata est Empyematis significatio, de qua etiam hic sermo erit.*

DEFINIMUS igitur seu magis describimus EMPYEMA, quod sit repletio cavitatis thoracis à pure copioso cum febris, tussi, & gravitate pectoris difficultatem spirandi inducens.

GENUS repletionem cavitatis thoracis cum *Avicenn. d. 1. constituimus & perpendimus ut morbum magnitudinis, seu cavitatis thoracis diminutæ, thorax enim ut pulmones commodè dilatari possint à natura vacuus est constructus, in quo quotiescunq; pus colligitur, repletur, & angustior redditur, unde propria symptomata, ut tussim, gravitatem pectoris, & difficilem respirationem sequi necesse est. Si verò ipsum pus consideratur est morbus in numero, & toto genere p. n. test. Gal. de differ. morb. c. 8. Nonnulli uti Mercurial. de affect. thorac. c. 7. morbum solent appellare in viâ, docentes, non tantum in hoc affectu impediri viam thoracis, quæ debet esse expedita, verum etiam huiusmodi impedimentum esse causam læsionis anhelitus. FEBRIM adesse testatur Hippocr. l. 2. s. 2. progn. 402. Purulentos calores interdum quidem tenues, noctu verò intensiores habere, & Gal. lib. 4. de caus. puls. suppuratis nonnunquam inæqualem & inordinatum, sed omnibus esse hecticum.*

SUBJECTUM adæquatum citra omnem controversiam est thorax, & quia per mediastinum in duas partes dirimitur, neq; dextri lateris cum sinistro ulla societas est, pus aliquando alterutrum duntaxat, aliquando utrumq; occupat. *Fernel. lib. 5. pathol. c. 11. In quo pus quandoq; in tantâ copiâ, ut si quis per singulos dies rejecti puris quantitatem collegerit, interdum sex aut octo heminas, interdum decem atq; interdum plures totam summam æquare invenerit. Galen. lib. 5. de loc. aff. c. 3.*

CAN-

CAUSA IMMEDIATA seu συρρετική est pus modò
in ipso thorace genitum, modò ab aliis partibus eò trans-
missum.

CAUSÆ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΑΙ: Malum hoc variis
modis fieri posse prolixè docet Hippocr. lib. 1. de morb. &
quidem I. ex INFLAMMATIONE, siue illa sit in pulmo-
ne, siue in vicinis pectoris partibus, ut peripneumonia,
pleuritide &c. ubi sanguis maturatione & coctione in pus
convertitur, quod postea rupto abscessu in thoracis capa-
citatem influit, illicq; coacervatur & plerunq; tussi excrea-
tur, quod lib. 5. aphor. 8. confirmat: Pleritici nisi intra 14. dies
supernè repurgentur in Empyema fieri malè translationem Eàdem
ferè facilitate solet subsequi ANGINÆ, test. eod. Hippocr. 5.
aphor. 10. Anginosi in peripneumonicos conversi, cum intra septem
dies non moriuntur, fiunt suppurati: Cujus occasione juvenem
quendam nobilem in hunc affectum incidisse prodit Jul.
Cesar. Claudin. Consult. 30. A LETHARGO etià Hippocr. sup-
puratos fieri annotavit. lib. 4. Coac. p. 08. Quicunq; servantur
ex Lethargo, ut plurimum suppurati sūt intelligendum median-
te peripneumoniā ex decubitu materiæ in thoracem hoc
accidere.

II. EX RUPTURA venæ vel vasis alicujus ad pul-
monem perringentis. Si enim vena rumpitur, sanguis qui-
dem partim cum in asperæ arteriæ ramos validà thoracis
constrictione, quæ expirando ruffiendq; fit, imprimitur,
per sputa ejicitur partim verò, nisi vena adstringatur in-
pulmones funditur, & in ipsis putrescit, ubi putrefactus
in pus abit, unde Hippocr. ex sanguinis sputo puris sputum.

III. AB HUMORE SALSO vel alioquin acri à ce-
rebro delabente, pulmonesq; erodente vel exedente egre-
gium extat exemplum apud Forest. l. 15. observ. 51. de Dn. de
Abbenbrock. qui cum longo tempore catarrho acri in pul-
monem collapsio tabe consumtus decubuisset, variis affli-
ctus symptomatibus, tandem obiit, corpore dissecto pul-
monem nihil aliud, quàm vomicam fuisse invenerunt.

Hiscæ pleriq; IV. & non minoris momenti causam
adjiciunt PITUITAM nimirum, de qua Hippocr. 7. aph. 38.

Destillationes in ventrem superiorem ad suppurationem
pervenire intra viginti dies, & lib. 1. de morb. §. 16. Fit quoque
suppuratus, si pituita è capite in pulmonem defluerit, ac primum
quidem ut plurimum latenter defluit, tenuemque tussim exhibet spu-
tum solito paulò amarius existit, calorque tenuis adest. De qua qui-
dem quid tenendum inter Recentiores valde disceptatur,
qui omninò negant, è pituita tanquam humore excremen-
titio non merum pus, sed saltem quid puri proportionem
respondens, differens odoris gravitate & lentore fieri
posse, cum pus test. Galen. 4. meth. 5. l. 5. de simpl. med. 6. l. 1.
de differ. febr. 6. & l. 7. aph. 30. aliam nullam agnoscat genera-
tionem nisi ex carne contusa & materia nutrititia, aut præ-
cedentibus inflammationibus &c. præsertim cum constet,
prædictum pus citra majores dolores ac febres, contra
Hippocr. decretum plerumque fieri. Tamen, si verba Hippocr.
diligentius intueamur clarum evadit, Hippocr. in supra alleg.
aphor. non statuere, quod pituita simpliciter in pus muta-
tur, nisi prius vel cum sanguine conjuncta in abscessu col-
ligatur, vel in thorace vel pulmonibus aliquam inflamma-
tionem efficiat, ex qua deinceps contingat pus generari,
quod etiam ex sequentibus, quæ d. l. 1. de morb. adjungit pa-
ter: progressu enim temporis, inquit, tum pulmo exasperatur, tum
intus à pituita inhaerente & putrescente exulceratur, pondusque in
pectore & dolorem acutum ante & retrò exhibet, corpus vehementer
incalescit, pulmo à calore trahit pituitam ad se ex toto corpore, &
maximè ex capite &c. Ex quibus liquet, parum ob stare, quod
etiam de febris mitiori objiciant, quæ non appareat, suffi-
cit enim hos nunquam febris carere, licet admodum con-
spicua non sit, neque semper putrida, præsertim cum non
est in abscessu collecta, non tamen sine habituali vel lenta,
uti in Phthisicis manifestum. Mercat. lib. 2. de intern. morb. cu-
rat. c. 8.

REMOTIORES etiam quasdam causas ad empye-
ma generandum facere experientia docet, quales sunt
temperamentum calidum & humidum totius vel Epatis.
Nonnunquam & calidi & sicci in hunc affectum incur-
runt, cum plurimo sanguine bilioso abundant. *Ætas juve-
nilis*

nilis imprimis à decimo octavo ætatis anno ad trigésimū
quintum. *test. Hippocr. l. 5. aph. 9.* idq; præcipuè ob tres cau-
sas. 1. vel à plethora, nam ob sanguinis abundantiam hi
sanguinem fundere solēt naturæ officio, maximè è narib9.
2. vel in hūc ætate præ cordis calore & effervescentiā ac-
cerima vis sanguinis in partibus spirabilibus vas erum-
pere valet, vel 3. palindrome ad has interdum partes fit
sanguinis, suppressā solenni aliquā evacuatione. Senes etiā
admodum proclives sunt in hunc affectum, quia eorum
caput imbecille, cerebrumq; frigidum & humidum de-
stillationibus obnoxium est. Quibus succenturiantur cibi
humores flatuosos, acres ac mordaces generantes. Usus
medicamentorum calidorum, vel aliorum peculiari qua-
litate pulmonibus infestorum, ut de lepore marino scribit
Galen. libr. de Theriac. ad Pisou. quod peculiariter pulmonib9
adversetur eosq; exulcerare vim habeat.

ΠΡΟΚΑΤΑΡΤΙΚΑΙ : Multum adjumenti præ-
stant huic malo, & sunt : Aëris nimia caliditas meatus aper-
riens, humoresq; in capite contentos liquefaciens : vel ni-
mia frigiditas constringens venasq; ad rupturam dispo-
nens. Vini meracioris potus liberalior, cujus historiam
affert *Horst. l. 3. de morb. pector. observ. 10.* Motus & exercita-
tiones corporis nimie. Somnus immoderatus, vigiliæ &
lucubrationes nocturnæ, maximè ventre pleno. Venus
immodica, cum totum corpus debilitet, animiq; pathe-
mata vehementiora &c.

EVIDENTES, quæ solæ ad effectum in quocunq;
corpore producendum sufficiunt, sunt casus, vulnus &c.
cum nimirum pectori vel alii parti pulmonibus vicinæ
infligitur, de quo *Hippocr. in Coac. lib. 6. s. 2. p. 5.* Qui in thora-
ce vulnerato exteriori quidem parte sanescunt, interiori verò non, ut
ne suppurati fiant, periclitantur. Quod nobili cuidam accidisse
refert *Valeriola lib. 4. observ. 7.* qui ab immorigero famulo
domus suæ quatuor acceptis secundum dorsum & latera
vulneribus à sicâ inflictis, duobus intra peritonæum se-
cundum thoracem penetrantibus vulneribus post duos
menses moritur, in cujus thorace, dissecto, parentum &
Magi-

Magistratus jussu, cadavere, secundum sinistram illius partem, admiranda & incredibilis puris copia inventa est, totum penè thoracis partem alteram implens, ut ferè amphoræ tertiam partem & eò amplius æquaret, vasis multis & capacibus extracto pure impletis. Medicamenta purgantia fortiora, omniaq; alia quæ pulmones, partesq; ejus vicinas corrodingi rumpendiq; vim obtinent.

DIFFERENTIÆ jam occurrunt, quarum plurimæ. &

I. RATIONE GENERIS aliud est verum, nimirum cum pus exquisitum in cavitate thoracis coacervatur: aliud nothum, & quidem duplici modo, vel *ratione situs*: cum non in cavitate pectoris, sed in alio loco materia hæret, nempe cum substantia Epatis corrumpitur; aut ventriculi seu alicujus intestinorum abscessus foras rumpitur, facile homines suppurati fiunt, spuria tamen suppuratione, quia non fit in thorace. Ad illegitimum empyema referendum etiam erit pulmo pure repletus. Hoc intellexit Hipp. cum in pulmone empyemata fieri scripsit. *l. 1. coac. t. 18.* Ad quam suppurationis sortem etiam reduci potest uteri suppuratio, uti Hippocr. in Coac. refert, vel *ratione materie*: cum tenues & serosi humores è capite per asperam arteriam & pulmones, vel per alios ductus cæcos ad thoracem confluent, ibiq; interdum cum purulenta materia similitudinem quandam adipiscuntur, quod sæpe in hydrope ascite fieri solet: Unde ab iis, qui sectione cadaverum delectantur stupidam copiam feri vel aquæ in cavitate thoracis contineri sæpe audimus, quod multis etiam observationib9 probat Carol. Piso in lib. suo singulari de morb. thor. ex illuv. seros.

II. RATIONE SUBJECTI. Cum thorax in duas medias partes ab intercipiente vel mediastino dividatur, pus modò in utraq; thoracis parte & in tota ipsius cavitate, modò in unica tantum parte colligitur.

III. RATIONE CAUSÆ: Cum suppurationem semper inflammatio antecedit, quæ est à sanguine: quia tamen sanguis is varius est: & non semper purus, etiam suppuratio variat, & nunc benigna, nunc acris & fetida invenitur.

SIGNA

SIGNA DIAGNOSTICA: Utile est etiam signa non-
nulla futuri empyematis cognita habere, ut ei maturè oc-
curratur: Proponuntur verò ab *Hippocr. in Coac. prenot. 402.*
& sunt hæc: cū pleuritis, aut peripneumonia, imò quoq;
angina &c. debitis auxiliis adhibitis non cessant, aut mate-
ria intra 14. dies non evacuatur, morbum in empyema ver-
ti certum est, quo tempore febres majores fiunt, dolor
exacerbatur, spirandi difficultas augetur. Quibus *Coac.*
prenot. sect. 2. 122. adjungit rigorem, dicens: qui subinde ri-
gore corripuntur ad suppurationem deveniunt, ob ma-
teriæ in pus migrantis acrimoniam, quæ partibus sensu
præditis communis efficitur, ob vapores illuc cōscenden-
tes: Adest etiam *rustiendi cupiditas*, quā nihil notatu dignum
excernitur, quia materiam servat natura, ut in febribus ad
unam expulsionem, sic etiam in his morbis ad unam sup-
purationem & disruptionem. Accedit his & aliud haud
infallibile signum, dolor, nimirum, *pulsativus* qui proprium
est symptoma inflammationis, quæ in suppurationem de-
situra est: nam cum peripneumoniæ, pleuritidi vel alii
parti inflammatae ex propria natura non accidat pulsato-
rius dolor, nisi ratione magnitudinis inflammationis, cui
proprium frequenter est suppurari, ob id magna inflam-
matio pulsatoriè dolet: nam ob magnitudinem pars in-
flammata attingit partes arteriis circumscriptas, uti egregiè
hæc de re disserit *Mercat. cit. loc.* Hisce signis addunt qui-
dam *pondus seu gravitatis sensum*, qui pro dolore percipitur;
quod alii negant, & impossibile esse dicunt, pondus adesse,
antequam pus fiat, quo statuunt pondus pro dolore
non esse signum fientis, sed factæ suppurationis, quia hu-
mor, qui ante in parte inflammata dispersus erat, in unum
locum jam rotus colligitur. *Dan. Senn. l. 2. prax. part. 2. c. 19.*

Instante insuper tempore disruptionis, prius dolo-
rem, difficultatem spirandi & cætera supra enumerata
symptomata vehementius exacerbari, sputationemq; fieri
necesse est, norante *Hippocr. lib. 5. Coac. f. 2. 8. 51.* addit *Mer-*
cat. sermonis proprietatem conturbari, quam festinatio-
nem in loquela *Valescus* vocavit.

B

Pus

Pus autem jam effusum & in thoracem dilapsum cognoscitur docente *Avicenn. loc. supr. alleg.* ex anhelitus difficultate aliquo modo remissa, dolore leniori, febris mitiori, & rupta vomica sanus esse sibi videtur ægrotus inquit *Hippocr.* Et ideo *Gal. l. de diff. cap. 11.* Empyema inter vitia indolentia reposuit, & 4. de loc. aff. 7. sine calida exufflatione expirare, antequam exurens febris accedit, cum tussis molesta, cibi fastidio ex putredinoso halitu puris orto, angustia & gravitate, quam ægrotantes persentiunt in thorace & si æger de uno in aliud latus convolvatur, fluctuatio quædam percipitur.

Diuturnioris autem hujus affectus signa *Hippocr. l. Coac. prænot. 402.* mirum in modum complexus describit: febris quidem, inquit, interdum mitior, noctu verò intensior redditur, tussis adest perpetua, circa cervicem & claviculam, sudores frequentes, sed inutiles, ob virium imbecillitatem, occupant, oculi cavantur, malæ verò rubent, digitus quidem manuum summi calent & scabri redduntur, ungues autem unci fiunt & perfrigescunt, in pedibus tumores & pustulas toto corpore habent, ac cibos refugiunt.

RATIONE SUBJECTI. In quo autem latere pus collectum sit, è fluctuatione, nisi forsan puris crassities aut copia, quæ omnem penè thoracis capacitatem implet, eam impediat, facile cognosci potest. Deinde melius decumbet æger in latus affectum, quàm in sanum. Si enim decumbat in latus sanum pus pulmones & mediastinum vehementer premit & gravat, adeò ut patiens quiescere haud possit. *Avicenn.* jubet utriq; parti pannum madefactum applicare. Huic filum madidum substituit *Massarius.* Rectius *Valesius* filum cum bolo Armenico vel terra-Erotriade ex mente *Hippocr. 3. de morb.* & in qua parte citius exsiccatur pro affecta agnoscunt: Pus enim non potest ratione mediastini de una in alteram partem transmeare, unde latus suppuratum calidius existit. Ab Angina & peripneumonia pus in utrumq; ferè capacitatis latus influit,

fuit, à pleuritide in alterutrum duntaxat in id nempe: quod dolore vexatum est.

RATIONE CAUSÆ: Signa è superioribus satis e-
lucent, quæ repetere hîc nolumus, ne actum agere videa-
mur.

PROGNOSTICA I. RATIONE GENERIS: Affe-
ctus sua natura est valdè periculosus, non tantum ob symp-
tomatum syndromen, aut partis affectæ præstantiam, sed
quod vires omnib9 suppuratis ut inquit *Gal. l. 4. de loc. aff. 7.*
imbecilliores morbi præcedentis violentiâ redditæ sunt,
interdum tamen virib9 validis & morbo mitiori existen-
te æger evadit, præsertim si juvenis, & secundum *Hippocr.*
2. progn. 46. morbum facile ferat, sitq; spiratio commoda,
non adsit dolor, non sitis, sputum facile educatur, corpus
æqualiter sit calidum, febris minuatur. Decrepiti ple-
runq; moriuntur. Et ii, qui difficile ferunt morbum,
præsentē spiratione crebra, magna, & orthopnæa & in
spiratione narium pinnae moveantur. Sputum retinea-
tur, & lucidum sit, cruentum, foetens. Extremæ partes
si frigidae *4. aph.*

II. RATIONE SUBJECTI: cum tota thoracis ca-
vitas pure repleta est, periculum suffocationis imminet.
Si autem unum saltem latus occupat, periculosius est, si
sinistrum, quam si dextrum repletur, ob sinistrum cordis
ventriculum, qui facile affici potest.

III. RATIONE CAUSÆ: Periculosior est suppu-
ratio quæ sequitur morbum gravem, ut pleuritidem, pe-
ripneumoniam &c. Unde *Hippocr. in Coac.* ex suppurationi-
bus, quas pulmonum morbi excitarunt, serè senes mo-
riuntur. Ex mensium suppressione suppurati intereunt.
2. proarb. Neq; ex eruptione sanguinis in pectore evadunt,
præsertim, si puris copia major & qualitas ejus acrior.
Suppuratio ex vulnere magni periculi expers, modò puri
exitus relinquatur.

LONGITUDO si spectatur; Empyema est morbus
diuturnus ut monet *Gal. in expositione 12. Aphor. l. 1. nisi con-*

B

2

jun-

unctum habeat asthma & orthopnæam, quibus celeerrimè æger strangulatur. Ex se autem longius est, & terminatur aliquando tardius, aliquando citius. Terminum constituit Hippocr. 5. aph. 15. quadragesimum diem; si à vomicæ ruptione numeremus.

MODUS EVENTUS: Terminatur AD SALUTEM 1. per sputum sæpissimè test. Hippocr. l. 1. de morb. & Gal. 6. de loc. affect. 7. Si modò illud album tenue & æquale. 2. Per dejectiones. lib. 3. Epidem. sect. 3. 3. per urinas, lib. 1. Epid. sect. 2. Galen. ibid. in Comm. & lib. 6. c. 4. de loc. aff. Aret. 1. de morb. chronic. 4. per apertionem & unctionem thoracis, & ut alii morbi thoracis sanatur. AD MORTEM 1. per strangulationem. 2. per syncopen. 3. per alvi fluxum suppuratis pulmonibus vel thorace, per alvum pus secedere lethale est, & 4. per phthisin.

CURATIO, licet rarissimè curetur hic affectus, tamen cum nihil intentatum relinquere debeamus, suscipienda venit, quæ in eradicatione puris tota consistit. Quod ad causas mediatas, è quibus præcipuè sunt pleuritis, ruption vasorum, &c. quæ libet peculiarem curandi methodum exposcit, de quibus singulis etiam Practici singulariter tractârunt. In Empyemate igitur curando Materiæ remedium defumuntur è trib. fontibus.

I. CHIRURGICO: Thoracis perforatio & unctio apud Autores summoperè laudantur, sed antequam illam aggrediamur, Medico tria perpendenda occurrunt. 1. non in omni Empyemate hoc præsidio utamur, sed solum in illo, in quo ob puris copiam non est spes ut materia ante quadraginta dies aliâ viâ citra pulmonum exulcerationem evacuari minimè possit, quod sæpissimè ex eo cognoscitur, si omnibus remediis idoneis adhibitis nihil vel parum materiæ ejicitur. 2. Medicus consideret, utrum pus verè maturum, an adhuc coctione indigeat, unde Ludov. Septal. lib. 6. caut. 124. Med cos admonet, ne incautè statim à ruptione vomicæ sectionem accelerent, sed cum Hippocr. in Coac. prædict. differenda erit in decimum quintam

ram diem, ut, & materia coctione ulteriori mitescat, magis, quæ ab effusione extra locum, ubi maturaverat, iterum alteretur, & ulteriori coctione melior reddatur, post quem diem si inustio instituenda, omninò maturandum. 3. Placet *Oribasio 9. synoph. c. 3.* celeriter evacuandum esse, neq; multum cunctandum, ne vires callabescant, aut puris putredine pulmonum substantia labefactetur, in quo casu omninò à tali actione abstinendum est, ne in illud incommodum incidamus, in quod cum certo mortis periculo incurrunt, qui in ascite ad sectionem nunquam veniunt, nisi cœteris remediis omnibus primùm in usum ductis & jam viribus exhaustis, & morte præforib. stante. Quam ob causam non immeritò eorum Medicorum timiditatem, & ac si hunc affectum non satis cognoverint *Rond. l. 2. c. 15. de curat. Emphyem.* accusat, scribitq; se multos ustione liberasse, & si ægri hanc pati noverint tanquam deploratos reliquisse, rectè igitur *Plater. lib. 3. prax. c. 5.* dicit, melius erit in extremo morbo, extremum remedium, quod tamen sine periculo administrare potest, tentare quàm ægrum deploratum relinquere & *Cels.* Dubia quippe spes certâ desperatione potior est.

Quo autem modo & quo in loco illa institui debeat, docent *Eustach. Rud. lib. 1. c. 46.* & *Dan. Sennert. lib. 5. Inst. p. 1. s. 2. c. 7.* Locus nimirum incidendus primò atramento notetur, postea cutis paululum obliquè dividatur, cum difficilius perforetur, & ita per resistantiam impedire possit, ne musculus incidatur, tandem sectio cum sagittella, aut rasorio, aut ustio cum cauterio actuali administranda inter quartam & quintam spuriam costam, vel ut alii volunt inter 2. & 3. quo enim foramen propius est diaphragmati, pus facilius effluit, cavendo tamen ne diaphragma lædatur; sed foramen fiat satis angustum, ita tamen, ut sanies liberè possit exire: Fiat autem secundum longitudinem costarum, distanter à spina per duos vel tres digitos, & ad locum puris penetrare debet. Primâ autem vice extrahatur pus ad dimidii cyathi mensuram:

B 3

ram:

ram: post duodecim horas ad cyathum: tertia vice tantundem vel parum plus, & sic deinceps usq; ad exactam mundificationem, inquit enim *Hippocr. lib. 7. aphor. 27.* Quicumq; suppurati aut aquam inter cutem patientes uruntur, aut secantur, si pus aut aqua universim effluerit, omnes moriuntur. Oportet etiam puris exitum adjuvare, nedum tussi, verum etiam decubitu super latus ægrum, ob causam assignatam, vulnus optimè claudatur, quod etiam fit, ne ab aëre alteratio fiat, & innati caloris exhalatio subsequatur. Quod si materia nimis crassa sit *Galen. s. meth. med. c. 8.* mulsam infundere jubet, quæ materiam fluidiorem reddat, ægerq; de uno in aliud latus convolvatur, & foramen tandem ut cætera thoracis vulnera agglutinetur. Plura de hac operatione videantur apud *Paul. Æginet. lib. 6. c. 44.* *Hieron. F. br. ab Aquapend. de operat. Chirurg. tit. de thorac. sect. in Empyem.*

PHARMACEUTICO: Medicamenta verò, quæ peculiariter ad Empyema diriguntur, sunt, quæ pus in thoracis cavitate collectum evacuant, nam de suppurantibus, quæ conveniunt inflammationibus, dum pus fieri incipit, non est hîc sermo, cùm de Empyemate non fieri sed factò agamus. Qua in re accurate attendendum, quò natura vergat, pusq; prorepat: Frequentius autem & commodius vel per sputum, vel per alvum, vel per urinam ejicitur.

Sed per quas vias Natura id præstat, non ita planum est, quamvis *Experientiâ* teste, tam per urinam, quam per alvum pus evacuari videamus. *Galen. quidem lib. 6. de loc. affect. c. 4.* docet, pus per lævem pulmonis arteriam ad sinistrum cordis ventriculum deferri, & inde in arteriam magnam incidens per renes transire in vesicam: per ventrem autem expelli, quando per venam cavam ad meatum fecis effunditur. Contrarium tenent *Recentiores* & cordis nobilitatem ac potissimum sinistri ventriculi præstantiam, non facile talem purulentæ materiæ transitum sustinere posse credunt, quin syncope aliq; gravissima sym-

symptomata inducantur, & potius per aliorum vasorum
communione hoc fieri volunt, idq; maximè per illam
venam, quam Hieron. Fabric. ab Aquapend. Gabriel. Fallop. Barth.
Eustach. & alii non pauci à pectore in emulgentem descen-
dere notarunt, quæ etiamnum hodiè in corporibus hu-
manis demonstrari posse autumant; Tamen Galeni sen-
tentia, utpote quæ probabilior, nobis arridet.

Si igitur materia per sputum evacuanda sit, iis uten-
dum quæ & tussim excitant, & materiam expectorant,
ut est: aqua saccharata, hordei, hydromel & ptisana cum melle
permistâ, quæ ut alimentum medicamentosum & medi-
camentum familiare in omni Empyematis genere lauda-
tur. Syr. de capill. Ven. de hyssop. marrub. grass. glyzyrrh. Oxy mell.
cum Ammon. Decoct. hyssop. trid. glyzyrrh. in aq. muls. aq. Vag. Ca-
ball. Pulv. sem. Urtic. cum Syr. Viol. &c. Materię tamen expe-
ctorandæ, in delectu medicamentorum habeatur ratio, si
enim pus acre ac mordax fuerit, eligenda, quæ acrimoni-
am ejus mitigant ac leniunt, è quorum censu sunt: horde-
um, injubæ, passula, sebest. glycyrrh. amygd. dulc. pineæ, Semen
Malvæ, Syr. Violar. Pilul. diatrag. fr. diatr. simpl. Trochisc. becchic.
alb. rub. & flavi, diapenid. Sacch. rosat. maximè cum Spir. Vitriol.
tabulatum. Contra verò si pus non acre, sed crassum
sit, attenuantia, incidentia & abstergentia, simulq;
becchica usurpanda: ut sunt: hyssopus, tussilago, thymus,
aut iris contusa, pulegium, radic. Helen. sem. Carthami anisi fo-
enic. Carica, Syr. de hyssop. de glyzyrrh. de tussil. Coch. sanum &
expertum, de pulmon. vulp. de caulib. cum quibus pulver. pul-
mon. vulp. cochlear. &c. miscere semper expedit. Hic etiam
utilissimè adhibentur. Tragea pectoral. balsam. Amplissimi atq;
Excellentissimi Dn. D. Rolfini P. P. hujus Academię famigeratissi-
mi Preceptoris ac Mæcenatis nostri Colendissimi, Ejusdemq; Pul-
vis Antiphthisicus & Aq. Asthmatica. Si verò pus nimium
crassum sit & puitosum, validius incidendum, & atte-
nuantia exhibenda, sed moderatè & cum arteriacis &
thoracicis lenientibus miscenda, quo modo & pus cras-
sum

sum incidetur, & attenuabitur, & humectatione diluetur
& ad expuitionem aptius reddetur.

Quod si ad alvum natura pus detrudere conetur,
quod tamen raro evenit, emollientibus & his quæ alvum
ducant, utendum & exhiberi possunt. *Cassia, Mann. vel mel
rosatum solutiv. & quandoq; agaricum, præsertim in materia
destillationis. Intestina autem ad prohibendum eorum
exulcerationem Clysteribus munienda sunt, ex jure ping. ca-
strati. intestinor. bovis vel vituli, lacte fursurib. & c.*

Verum si natura evacuet per lotium diuretica pro-
sunt, sed cum hæc test. *Galen. 4. & 5. simpl. sint admodum
calida & sicca, ut eorum caliditas & siccitas immodica
obtundatur, cum sorbitiunculis, portionibusq; hume-
ctantibus sunt exhibenda, ut decoct. Asparag. fœnic. cum lact.
sem. melon. Therebinth. cum pulv. rub. tindor. jus quoq; cum ra-
dicibus aperientib. Capill. Ven. & adianth. semin. melon. adjecto sy-
rup. de liquirit. de capill. Ven. alteratum. Aliàs ad expulsio-
nem puris Spir. Terebinth. cum flor. Sulph. unice svadetur à
Petreo. EXTERNA, quæ lumbis inuncta vias renum ape-
riunt, purisq; expurgationem promovent, etiam hic con-
veniunt & sunt: ol. Viol. lil. alb. amygd. amar. sesami, scorpion.
Ung. Dialth.*

Quod si autem diuturnior hic affectus sit, pulmonesq;
exulcerentur, convenit *Alexandri Consilio LACASINUM*
ad ulcus abstergendum, glutinandum, ac totum corpus
contabescens unâ nutriendum, quæ cum potius ad phthi-
sin curandam pertinere videantur, eò remittimus.

Tandem, cum vires in hoc affectu nimium sup-
primantur, cum supranominatis medicamentis confor-
tantia simul exhibere, valde proficuum erit, & præser-
tim quæ humores ad corruptionem tendentes corrigen-
di, universum corpus ab omni putredine ac malignita-
te liberandi, & deniq; pure evacuato reliquias dissipan-
di, vim habent. Commendantur autem hunc in usum
*Spir. Tart. cum flor. Antim. diaph. Merc. diaph. quem pectori
amicum esse, omnesq; ejus morbos depellere, funditusq;
era-*

eradicare tradit *Paracels. de reb. natur. c. 7.* Nec medicamentorum è Sole paratorum usum negligimus, quamvis vim emeticam obtineant, neq; curam, quod de aquis fortib. quidam objiciant; præcipue verò laudantur ab Autorib. *Flos Solis pretiosus, Vellus seu lana aurea Joh. Weidn. &c.* Sed reliquis omnibus palmam præripit *supra laudati Dn. D. Rolf. Bezoardicum Solare*, instar arcani cujusdam magnis encomiis celebrandum, quod summis virtutibus exaltatum, languentem naturam reficit, & desperatum virium lapsum quadruplo fœnore restaurat, si cum vehiculo convenienti exhibetur. Quidam in hoc affectu supra modum decantant *Essent. Perlarum, Croci & Ambr. cum Spir. Rosar. Mistur. simpl. Confect. alchem. Mithridatium vetus præsertim cum Conserv. Rosar. Sp. Diamosch. Diamb. &c.* EXTERIUS verò *Ol. Viol. Chamem aneth. Irin. pingved. gallin. Empl. de melil. Diachyl. magn. Ceratum sacrum & diaplirites.* Utilitas *Emplastr. de Visco Quercino* multis *Lobeli* commendatione fuit explorata in pure eliciendo.

DIÆTETICO, Victus ratio medicamentis respondeat, & sit siccus, extenuans & detergens. Aërem igitur Empyi inhabitent purum ad siccitatem, modicam declinantem. Pro cibis utatur, carnib. avium conditis seu coctis asparg. hyssop. scœniculo. Amygdalæ, Pinacia & alia, quæ extenuant, utilissima sunt. Et dum sit evacuatio per tussim nil præstantius & familiarius prisana melle permixta. Ita potest decoqui in jure pullorum, gallinarum, & phasianorum vel similium laudabilium avium, quibus pro virium confortatione ægri uti poterunt. Si per renes jus cicerum cum petroselino, asparago probantur. Potus sit aqua mulsa aut hordei cum hyssopo & pulmonaria. Ratione virium imbecillium vinum tenue, subdulce, oligophorum concedi potest, nisi febris magna sit. Somnus sit moderatus. Vigiliæ & lucubrationes tanquam pestis vitentur, Motus sit nullus vel per
C quàm

quàm exiguus, alvus quotidie nisi sponte fluit, irri-
tanda Animi pathemata & veneris lusus exulent.



Artis Pœoniæ THAMMI, cupidissi-
me cultor,
Dum vires tentas ingenii & genii,
Et cathedram ascendis summos petitu-
rus honores,
applaudunt ansis tota theatra tuis
Phœbus adest lateri præclara brabæa da-
turus;
Nec Galenus opum Conciliator abest.
Augurium firmet medicinæ Conditor
almæ,
Tam decori Patri te fore, quàm patriæ.

THAMMIO

*Nobilissimæ artis, quam fideliter didicit,
Candidato dignissimo felicitatem
præcticam uberrimam ex animo ap-
precatur*

Gvernerus Rolfinck
Phil. Med. D. Prof.
Publicus;

Quæ mala rhoracem adfligant, illisq;
mederi
Quî Medici possit dextra salutifera,
Osten-

Ostendis, multo sudore edoctus & arte
scrutatùsq; amplos nocte dieq; libros.
Præmia si antlatos comitantur iusta labo-
res;
Mox Doctrina tui meta laboris erit.

Paulus Marquartus
Slegel D. & P. P.

F I N I S.



Offendit, inane laboribus & sine
leuante, amplius nos deo liberos
Præstat, antea committitur, illis laboribus
723
Mox Doctoris in rebus laboris erit
Paulus, in rebus
Mox, in rebus

F I N I S



ULB Halle


3

005 132 630



VDA 7







26
1639,9 14

DISPUTATIO
MEDICA INAUGURALIS.
DE
EMPYEMATE,
Quam
Præscitu ac permissu
Inclytæ & Gratosissimæ Facultatis Medicæ in lau-
datisima & florentissima Academiâ
SALANA
SUB PRÆSIDIO
VIRI
Amplissimi, Clarissimi, Excellentissimi
DN. PAULI MARQUARDI
SLEGELII, Med. Doct. Prof. Publ. & Horti Me-
dici Præfecti celeberrimi ejusdemq; Faculta-
tis p. t. Decani Spectatissimi
DN. Præceptoris & Promotoris sui colendisissimi.
Pro LICENTIA adipiscendi privilegia & honores
DOCTORALES.
Publico examini submittit.
CHRISTOPHORUS PAULUS THAM
SONDERSHUSA-THURING.
Ad diem 19. Decembr.
In Auditorio Majori
Horis consuetis.

JENÆ
LITERIS STEINMANNIANIS, Anno M. DC. XXXIX.